N. T. & Jubilæum V. T. intercedit, certis quibusdam
Comparationis Argumentis adhibitis, ostendam.

Captatio Benevolentiæ. Quod, dum faciam, dabitur mihi à Te, Vir Præ-
cellentissime, liberè coram Claritate Tua di-
cendi venia. Abs Te verò, Nobilissima atq;
Ornatissima Studiosæ Juventutis Corona, ut cur-
sum Orationis meæ Tui favoris & attentionis con-
stantissimâ æqvitatisq; studio, tanqvam exopta-
tissimis remis & velis adjuves, majorem in mo-
dum peto atq; contendo.

Tractatio. Atq; ut mea ex hoc stadio elabatur Oratio: deri-
vationis significationisq; rationem duarum vocum,
vocis nimirum Pentecostes, & vocis Jubilæi, prius
considerandam esse puto. Est autem Pente-
coste nomen Græcum, quô significatur qvinqvage-
simus dies, qvinqvagesimus scil. à resurrectione
Christi dies. Originem vox trahit ab adjectivô
Græcô Πεντηκοστὸς, subintellectô Substantivô ἡ-
μέρα: ut sic sit qvinqvagesimus dies. Germani
vocant Pfingsten; Hebræi Festum Hebdomadum,
à septem hebdomadibus, quæ sunt à die oblati ma-
nipuli spicarum, das Wochen-Fest. Ut enim ma-
turescentibus jam frugibus Judæi, ad mandatum
Levit. cit. loc. DEI, ex singulis familiis ac domibus, quæ agros
possidebant, fasciculum spicarum afferebant
Sacerdotibus: ita post hebdomades septem, pera-
ctâ jam messe, ad eundem modum offerebant